

tuæ natalitia cõlimus & per ejus ad te exémpla gradiámur : Per.

In j. Vesperis Memoria S. Aegidii Abbatis.

Oratio.

INTERCESSIO nos, quæsumus Dómine, beáti Aegidii Abbatis commédet : ut quod nostris méritis non valémus & ejus patrocínio assequámur : Per.

DIE II. SEPTEMBRIS.

S. STEPHANI REGIS, CONFESSORIS.

DUPLEX.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, Ecclésiae tuæ omnípotens Deus : Ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit & propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis : Per.

DIE III. SEPTEMBRIS.

B. GUALÆ EPISC. CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

DEUS, qui, ad plebem tuam in pace et pietáte firmá-dam, beátum Gualam, Confessórem ac Pontíficem, singulári grácia decorásti : ejus nobis intercessióne concéde ut pacis stúdia operóse sectántes & úberes pietátis fructus percipiámus : Per.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

IN OCTAVA S. AUGUSTINI.

SOLEMNE.

AD I. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus, V., Antiphona ad Magnificat et Oratio ut in j. Vesperis Festi.

AD II. VESPERAS.

Omnia ut ad ij. Vespertas Festi, servato modo diei Octavæ Solemnis.